e-codices

Deus in adiutorium meum intende. Vox martyrum et totius ecclesiae in persecutionis angustia constitutae. Nullus enim est sanctus si sine
persecutione est in mundo, quia scriptum est: Omnes qui pie volunt vivere in Christo persecutionem patiuntur. Deus inquit in adiutorium
meum intende. Id est enim veraciter adiuvam quia ad nos respicias. Subiungitur: Domine ad adiuvandum me festina. Ne longius prolonga
retur beneficium quod non dubitabatur venturum. Confundantur et revereantur qui quaerunt animam meam. Duobus modis quaeritur anima iusti, quia aut perse
cutor quaerit eam ad affligendum, aut pius ad imitandum. Hic ergo orat corpus Christi pro persecutoribus malo quaerentibus ut confundantur de factorum
suorum perversitate et revereantur, id est metuant supplicia aeterna incurrere, et ad pietatem domini studeant celerius residere. Sic Saulus beati
Stephani lapidator confusus est, et utiliter prostratus, atque ex Saulo Paulus ex persecutore erectus est praedicator. Avertantur retrorsum et eru
bescant. Hanc inquit retributionem percipiant ut ab impetu malitiae suae retrorsum repellantur, et incipiant subsequi quos volebant praecedere,
et qui mala mihi cogitant retroagantur ne possint implere quod volunt. Avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi euge euge. Duo sunt genera persecu
torum, vituperantium et adulantium, id est falso laudantium. Prior usus erat pro vituperatoribus, hic pro adulatoribus, quorum lingua gravius aliquando
nocet, quam aperta adversarii persecutio. Euge enim sermo laudantis est, et his optat ut erubescentes desinant aliquem adulando
decipere. Potest et hic contra illos dictum accipi qui martyrum poenis insultabant et de illorum suppliciis laetabantur. Exultent et laetentur super
te omnes qui quaerunt te, persecutoribus et falsis adulatoribus confusis et retrorsum actis, iubentur exultare et laetari qui Christum diligendo quaerunt.
Exultent inquit in te, non in me sed in te, in quo lux est qui meruerat quorum tenebrae. Et dicant: Non ad horam sed semper magnificetur
dominus, id est glorificetur et magnus appareat. Neque enim ipse quo crescat habet, sed nos illum magnificando proficimus, quaerere hi dicere
debeamus. Qui diligunt inquit salutare tuum, id est filium tuum in quo salutem et redemptionem humani generis constituisti. Ego vero
egenus et pauper sum. Turba fidelium suae fragilitatis et imbecillitatis conscia loquitur. Omnis sanctus et pauper et ianuam dei infatiga
biliter pulsat, quaerit et petit ut accipiat, et ut inveniat atque petita percipiat. Sane cum dicit ego egenus sum, ostendit illos de quibus
dixerat: Avertantur et erubescant, divites et superbos fuisse. Deus adiuva me in huius vitae stadio ubi cum hostibus visibilibus atque
invisibilibus confligo, ubi contrariorum turbis decerto. Adiutor meus in necessitatibus, sive in operatis virtutibus, liberator
a cetis adversitatibus. Domine ne moreris. Ne differas sed celerrimum praesta suffragium. Periclitantibus enim tarde videtur omne
quod desiderant, etiam si cito subveniatur.

Ieremias propheta narrat ionadab qui et aminadab dicitur fuisse sacerdotem dei qui filiis suis praecepit
ut non biberent vinum, neque in domibus sed in tentoriis habitarent, eosque obedisse praecepto patris sui, ex quo magnam apud deum
gratiam promeruerunt. Ionadab interpretatur domini spontaneus, aminadab vero populi mei spontaneus, Christum designans, qui spon
taneus domini fuit patris voluntati sponte obediens, sicut ipse alio psalmo dicit: Voluntarie sacrificabo tibi. Ipse quoque est
aminadab, id est populi mei spontaneus, qui sponte de Iudaeis carnem assumpsit. Filii ionadab sunt omnes electi, qui per praevaricationis
gressionem primi hominis captivati, sed in fine Christi mundissimo sanguine redempti.

In te domine speravi. Vox est filiorum ionadab, id est totius ecclesiae, quae est corpus capitis Christi, quae et in praeteritis temporibus
speravit in domino, et usque ad finem saeculi in eo sperare non desinet. Non confundar in aeternum. Confusus est populus fidelis in Adam in quo
omnes peccaverunt. Et ideo orat ut non in aeternum confundantur, cum iam reliquit veterem hominem et accessit ad novum, id est Christum
de quo alibi dicitur: Accedite ad eum et illuminamini, et vultus vestri non confundentur. In iustitia tua libera me et eripe me. In tua iustitia
dicit, id est in ea quae ex fide est Iesu Christi, contra eos qui suam iustitiam volentes constituere iustitiae dei non sunt subiecti. Inclina
ad me aurem tuam et salva me. Cum dicit inclina, confitetur humiliter quia aeger et suis meritis non meretur exaudiri. Nec ad illum
qui excelsus est pervenire, nisi sua misericordia ipse peccatoribus condescendat. Esto mihi in deum protectorem. Tu inquit esto non alius, quo
et ab inimicis spiritalibus me protegas, et a corporeis adversariis tuearis. Locus enim est invicta defensio, de qua et alibi
dicit: Sub umbra alarum tuarum protege me. Quoniam firmamentum meum et refugium meum es tu. Firmamentum pertinet ad protectio
nem, refugium ad locum munitum. Sive firmamentum in praesenti, refugium in aeterna illa felicitate, ubi iam nullum periculum
formidatur. Deus meus eripe me de manu peccatoris. Superius se petierat salvari, nunc de manu peccatoris orat eripi, id est
enim quod alibi dicit: Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo. Sed quia peccatores in duo genera distinguuntur, eorum videlicet
qui legem acceperunt et eorum qui sine lege peccaverunt, utrumque genus hic tangit. Cum enim dicit de manu, id est de potestate contra legem
agentis, eos ostendit qui accepta lege praevaricati sunt. Cum addit iniqui, eos indicat qui sine lege peccaverunt, quales sunt
pagani deum ignorantes. Hoc debent petere filii ionadab qui per gratiam Christi volunt de prima captivitate liberari.

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 149 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/fr/csg/0312/149)